



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epistola Græca Simonis Lithi Miseni Calvinistæ In Sva Elementa

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1605

Pharmacvm Pro Metv Miseni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70627)

dentibus suis fremet & tabescet, desiderium peccatorum peribit. Nunc leuationem quæremus metui Misenico.

PHARMACVM PRO METV
MISENI.

METUIT Misenus, ne Iesuite in Galliam reuocati Galliã turbent, abacta pace, in qua nunc degit. Ego cum Lucretio cano. *Veluti pueri trepidant, atque omnia cœcis in tenebris metuunt; sic vos in luce timetis, nihilo quæ sunt metuenda magis, quàm quæ pueri in tenebris pauitant, finguntq; futura. Hunc igitur terrorem [animi, tenebrasq;] necesse est non radij solis, neque lucida tela diei, discutiant, sed natura species ratioque. Trepidauerunt timore, vbi non erat timor: ait de te tuique similibus Psalmista. Hic certè nullam timendi causam habes; quod ipsemet non inuitus fateberis, si memoria repetere, quæ iam olim in Galliis gesta fuerunt; & ex præteritis de futuro coniecturam facere velis. Nam quis Galliam turbauit antea? Nonne is, qui hodie Belgium? Nonne is; qui ante paucos annos Archiepiscopatum Coloniensem? Nonne is, qui Episcopatum Argentinensem? Nonne is, qui Scotiam? Nonne is, qui hoc autumno superiorem Hungariam?*

riam?

riam? Nonne is, qui ante pauculos annos Austriam? Quis ille Misene? Nonne tu & domus tua? Nonne Lutherus & Calvinus? Nonne Lutheranismus & Calvinismus? cui si liberae habent non concedantur; imò si grassari effrenatè non sinatur; reclamante legitimo Rege aut Principe, ad arma profilit: scloppis & glandibus ferreis *euangelizat*, ferroque viam sibi patefacit: & eius, quod impiè simul ac sceleratè agit, causam & culpam, in innocentes confert: & perinde facit; ac si Absalon, aut Bochri causam concitati belli contulisset in Dauidem.

1. Mach. 1.

Quis belli Auctor fuit tempore Macchabæorum? Macchabæi ne, an scelerati illi; & filij iniqui, qui exierunt ex Israël, & suaserunt multis dicentes: *Eamus & disponamus testamentum cum gentibus, quæ circa nos sunt, &c.* (cum Lutheranis & Calvinianis) & recesserunt à testamento sancto, & iuncti sunt nationibus, & venundati sunt, ut facerent malum?

2. Reg. 10.

Mouit olim arma Rex Dauid aduersus Hanon Regem filiorum Ammon, eò quòd in contemptum & contumeliam Dauidis, raserat dimidiam partem barbæ legatorum, quos Dauid miserat; vestesque eorum medias præsciderat. Nec quisquam bellum hoc Dauidi crimini dedit. Nostri isti; quãdo legatos Dei,
hoc

hoc est, sacerdotes, & religiosos non radunt; sed aut exterminant, aut suspendunt, exquisitisque suppliciis enecant: quando templa expilant; aras euertunt: omniaque sacra contaminant ac profanant; & aliter non agunt, quàm olim Antiochus egit in templo Hierosolymitano; tum adhuc hæc immania & Turcica facinora & sacrilegia impunè ferre contendunt. Et si quis Dauid, aut Machabæus exsurgat; qui improbissimorum hominum nefarios conatus retundere studeat; tum cœlum & terram clamoribus implent; iniuriam sibi & Euangelio fieri clamitant; se nil nisi pacem quærere & expetere; se pacis studiosissimos & appetētissimos esse; & centenatalia; mera nequitiae tegumenta ingeminant.

Sed his omisis, quæ toti terrarum orbi notissima sunt; te, Misene, omni cura metuque liberum ac solutum esse iubeo: Quiescant Calvinistę tui; & quies per Iesuitas nunquam turbabitur: hoc tibi certò persuadeas velim. Cur te frustra affligis? *Sapins opinione, quàm re laboramus,* inquit Seneca. *Illud tibi precipio, ne sis miser ante tempus; cùm illa, quæ velut imminētia expauiisti, nunquam ventura sint, certè nondum venerunt.* Vbi illud ex Psalmo apud tam in Psalmorum lectione contritum lectorem?

Si

Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Omnem operam eò confer, vt Calvinistæ tui quietem seditionibus præoptent. Qui, sat scio, nihil intentatum relinquent; vt Iesuitis insidias struant. Sed non expauescimus. Plures sunt pro nobis, quàm contra nos.

Daniel. 6.

Illustrem Calvinistarum typum habemus in principibus & satrapis Persarum, qui cum Daniele perditum cuperent, nec tamen perdendi occasionem reperirent, efficere id conati sunt impia lege lata, ne quis quidquàm ab vlllo homine Deòue intra triginta dies peteret, nisi à solo Rege. Quam legem, cum non obseruaret Daniel, vtpote omni equitati aduersantem; ex constituta nefarij decreti pœna in lacum leonum missus est: magna diuini nominis gloria: nullo suo damno, certo emulorum & accusatorum suorum exitio, in quorum caput omnia contra Daniele machinamenta reciderunt. Pari prorsus modo Calvinistæ cum Iesuitis aliisque religiosis agunt; quos cum aperta vi euertere nequeunt; cuniculis id transactum dare student; sed non rarò, iusta Dei sententia, incidunt in foueam, quam aliis foderant; pedicisq;, quas aliis iniustè tetenderant, implicantur iustè.

Cùm

Cùm Daniel idolum Bel destruxisset, & *Daniel. 14.*
Draconem magno in honore Babylonis habitum interfecisset; rursus periculum capitis adiit; rursus leonibus obiectus est: pabulum iisdem futurus; nisi tutela cœlestis periclitantem eripuisset: Rege per vim adactò, ut Danielem, leonum truculentę feritati exponeret: Vociferabantur enim Babylonij: *Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & domum tuam.* Quis iste Bel, nisi hæresis? Quis iste Draco, nisi hæresis? Qui Babylonij, hoc est, *confusi*, absque ordine & ordinatione, nisi heretici? qui Babylonij non essent; si non insidiarentur illis; à quibus Belo & Draconi periculum impendet, vel obex ponitur, ne latius sese diffundat: qui ubi viribus ita polent; ut se faciliè superiores euafuros sperent; intrepidè Regibus & Principibus occinunt: Aut eiice istos hæreseos hostes & oppugnatōres, aut interficiemus te & totam stirpem tuam.

Et in Iesuitas quidem primã semper impressionem faciunt, non quòd alios religiosæ vitæ professores ament, & conseruatos cupiant; sed quia nostros magis oderunt: nam Geneuæ & Heidelbergæ, & in omnibus Calvinianis ciuitatibus tam multi, opinor, supersunt Monachi, quàm multi Iesuite. Nimirum

rum

I. Reg. 12.

rum vt Philistæi olim Israëlitis subactis omnes *fabros ferrarios* abstulerunt, *'ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam*: ita isti nostri nudius tertius exorti Philistæi id potissimum curæ habent: vt omnes illos amoliantur, qui populû instruere, & ne in sectas labatur, præmunire, & arma aduersus hæreticos vtenda fabricare norunt.

Act. 17.

Si conatus minus ex sententia succedat, faciunt, quod à maioribus suis simili in caussa factitatum sciunt. *Zelantes Iudæi*, inquit S. Lucas agens de illis, qui Pauli & Silæ prædicationibus ad Christi sacra traducti fuerant, *assumentesq; de vulgo viros quosdam malos, & turba facta concitauerunt ciuitatem, &c. clamantes, quoniam hi sunt, qui orbem concitant, & huc venerunt, quos suscepit Iason, & hi omnes contra decreta Casaris faciunt, etc. concitauerunt autem plebem, & principes ciuitatis audientes hæc. Qui adeò Paulo infesti erant, vt Thessalonicam turbasse non contenti, Bercæam quoq; seditionis excitandæ gratia sese reciperent. Cum enim cognouissent in Thessalonica Iudæi, quia vt Bercæa prædicatum est à Paulo verbum Dei, venerunt & illuc, commouentes & turbantes multitudinem*, inquit S. Lucas.

Act. 19.

Quod & Ephesi factum, præcipuè impulsu Demetrii argentarij, qui metuens, ne ad mendicitatem redigeretur, si despectis idolis,

lis,

idolis, Christiana religio inualesceret, gra-
uissimam seditionem commouit. Qui mihi
viva Prædicantium & Ministrorum Caluini-
sticorum imago fuisse videtur: qui vbi ani-
maduertunt, sectam suam in discrimine po-
sitam, mox conuocant symmystas suos, &
eos, qui huiusmodi erant opifices, dicuntque: *Viri,*
scitis, quia de hoc artificio (mentiendi & seducen-
di) *est nobis acquisitio, &c.* Non solum autem (nisi
obuiam eamus) *hac periclitabitur nobis pars in*
redargutionem venire, sed & magna Diana, (mam-
mosa & multiceps nostra Hecate seu Hære-
sis) *in nihilum reputabitur, sed & destrui incipiet*
maiestas eius, quam tota Asia, (Gallia, Germania)
& orbis colit.

Quid ad hanc cohortationem sequitur?
His auditis, repleti sunt ira, &c. & impleta est ciuitas
tota confusione, & impetum fecerunt vno animo in
theatrum, &c. & alia huius generis talibus ce-
leusmatis planè consentanea; hæreticisque
nostris fermè quotidiana. *Sed in his omnibus su-*
peramus propter eum, qui dilexit nos, inquit Apo- Rom. 8.
stolus. Cui quod olim Dominus per visio-
nem dixit, id & ad nos pertinere arbitramur.
Noli timere, sed loquere, & ne taceas, propter quod Act. 18.
ego sum tecum: & nemo apponetur tibi, vt noceat te:
quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate, &
in vniuersa Gallia. Hac promissione freta

E cuni-

1. Reg. 2.

cuniculos vestros, fraudesque & sutelas flocci facit Societas nostra, inq; iudicio Christianissimi Regis, à quo tam paternè & beneuolè partim Gallia restituta, partim confirmata est, securè acquiescit, cumque Anna illa hilari voce canit: *Exaltauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo. Dilatum est os meum super inimicos meos (Caluinistas) quia letata sum in salutari tuo. Non est sanctus, vt est Dominus, neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster. Nolite (vos Caluinistæ & Lutheristæ) multiplicare loqui sublimia, gloriantes, &c. Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore, &c. Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit & ditat; humiliat & subleuat. Suscitatur de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.*

Et cur hunc hymnum Deo non concineret; quãdoquidem *amulam suam* hæresin, quæ perpetuò proscriptionem ex Gallia exprobrabat; nunc confusam, & hac reuocatione insigniter percussam & videt & gaudet; teq; Misene, siue dolentem, siue irascentem, siue metuentem; siue hæc omnia & alia etiam simul agentem, tanquam cœcum & pertinacem, & iam sempiterno exitio vicinum Caluini-

uinistam deflet: illud Psalmi identidem repetens: *Confundantur & reuereantur, qui quærunt animam meam. Auertantur retrorsum & erubescant, qui volunt mihi mala. Exultent & latentur in te omnes, qui quærunt te; & dicant semper: magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum. Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam FILIO Regis, iudicare populum iniusticia, & pauperes tuos in iudicio.*

Tandem, vt tibi, Lithe, 'omnem metum 1. Paral. 12. abstergam, quod Amasai Princeps inter triginta interrogatus, num pacificè cum sodalibus venisset; respondit Dauidi; hoc itidem ex imo pectore ab omnibus nostris, qui in Galliis degunt, patriæ & Christianissimo Regi, quasi sciscitanti responsum existima. Quid igitur Amasai? *Tui sumus ô Dauid.* (Tui sumus ô Gallia, ô Rex inuictissime & potentissime) *& tecum Fili Isai.* (Et tecum maximi Regis maxime Fil) *Pax, pax tibi, & pax adiutoribus tuis: te enim adiuvat Deus tuus.*

